

fol. 8, col. l. 'iurigia' Hs. Darauf folgt: 'Non sum sub terris', zwei Verse. Vgl. Bd. VI, 537.

XIV. De comite Theobaldo.

- Hic latet ille comes Theobaldus clarus ubique,
 Ecclesiae matris filius, immo pater.
 Magnus honore, potens subiectis, nobilis ortu,
 Mente sagax, verbis lucidus, ore decens.
 5 Exiguus parvus, tumidis ferus, asper iniquis,
 Simplicibus simplex, omnibus omnis erat.
 Re(i)s, pauperibus, monachis, egrisque parabat
 Incessanter opem, munera, templa, domos.
 Huius erat servare bonos, punire nocentes;
 10 Huius erat iuste vivere, iusta loqui.
 Omnes virtutes in eo lucere videres,
 Certabantque simul mirificare virum.
 Gallia nostra gemens tanto viduata patrono,
 Sicut eo stabat stante, iacente iacet.
 15 Ergo sui cursus perfecit tempora mense
 Iano bis quinos perficiente dies.

Es folgt das Epitaphium Sviggeri abbatis sancti Dionisii. 'Hic iacet ecclesiae flos', 16 Verse. Vgl. Hauréau, *Melanges d'Hildebert* p. 30.

XV.

- Cum sis flos patrum, cum spes, cum vita tuorum,
 Effice, cur tu sis illud habendus ei.
 Idque facis, si nunc es, quod prius esse solebas,
 Si non te mores destituere tui.
 5 Mens prudens, sit larga manus, sit lingua modesta:
 Haec gerat, haec tribuat, haec sonet usque bonum!
 Sic deus hanc ut pauperiem, plebs ut probet illam:
 Sicque tribus si vis patria gratus eris.
 Tu mea praecipue, tua spes ponatur in uno;
 10 Ne spes cassa ruat, ut potes, affer opem!

XVI.

Floruit ars lo(g)icae placuitque Galone docente:
 Marcet, vilesцит, cum sinet esse docens.
 Alter Aristotiles, cleri caput, artis acumen;
 Unde gemit clerus, heu, vacat a studio.